

ri-[136:]tum mentibus hominum diuinitus insitum.<sup>257</sup> Et eodem errore subinfert tandem, quod primum ac praecipuum est in Papatu, missam nimirum, ut sit sacrificium pro viuis et mortuis, tametsi callide satis ei nunc primum detrahere meritum videtur, cum caeci videant et surdi audiant, quid meritum etiam absurdissimorum hactenus Missae priuatae tribuerunt, id quod non tantum experientia rei, sed etiam canon ipse satis manifeste testatum reddit. 5

Nos itaque, sicut fundamentum de religione cultu et ceremoniis gentium, quo liber nititur, impium esse protestamur, ita quod inde mox introducitur, nempe missa priuata seu sacrificium (ut vocant) pro viuis et defunctis, nullum in Scriptura sacra nec in scriptis Patrum habet fundamentum: Sed est reuera, quod sancte iuramus in conspectu Dei et sanctorum angelorum, Satanae commentum perniciosissimum et ad opprimendam veram Domini coenam callidissime excogitatum. 10

I. Primo. Agnoscimus quidem coenam Domini sacramentum a Deo institutum esse, ut sit signum et pignus, quo certi et tuti reddimur, quod promissio gratiae, remissionis peccatorum et vitae aeternae sit firma et inuiolabilis omnibus, qui in Iesum Christum credunt et sacramento coenae, ut signo et testimonio huius gratiae, utuntur: Sed quod [137:] Christus sacramentum sui corporis et sanguinis instituisset in alium usum, nempe ut in memoriam suae passionis offerretur, et sacrificium incruentum (ut falso vocant et sine Scriptura loquuntur) diceretur, merum Satanae mendacium est, et ex his verbis: „Hoc facite in mei commemorationem,“ nunquam vel colligi vel probari potest. Aliud enim est facere, id est, comedere et bibere, aliud offerre. 15

II. Deinde: Christus moriens in cruce, cum dixit: „Consummatum est,“<sup>258</sup> significauit unico suo sacrificio perfectum et impletum esse, quicquid ad salutem nostram pertinebat. Id quod Epistola ad Hebraeos satis manifeste declarat, ubi Spiritus Sanctus inculcat has particulas „offerens se,“<sup>259</sup> item „Consummatus,“<sup>260</sup> item „semel,“<sup>261</sup> haud dubie praeuidens, venturos instinctu Satanae, qui hoc unicum et salutare sacrificium nouis et quotidianis oblationibus opprimere et extinguere conarentur. Ideo contendit non solum nulla alia esse sacrificia, sed unum illud semel oblatum fuisse, nec aliud 25 30

<sup>257</sup> Vgl. Augsburger Interim XXII (De sacrificio missae), 103: „Ut religionem, sine qua nulla gens vivit, ius naturae introduxit, sic etiam caeremonias, sine quibus religio coli nec potest nec solet. In ipsis vero caeremoniis externam oblationem, velut praecipuam, omnes omnium saeculorum gentes observauerunt. Quae etsi ... circumcisionem velut crudelem et naturae inimicam horruerunt, non tamen similiter repudiarunt reliqua sacrificia, sed in multis legem naturae sequentes expiationum retinuerunt instrumenta: et immolare victimas et incendere adipem et libaminibus fundere coram Deo vota et preces, cultu cum ipsa natura hominibus insito et per omnium animos diuinitus vulgato perseverauerunt.“

<sup>258</sup> Joh 19,30.

<sup>259</sup> Hebr 7,27.

<sup>260</sup> Hebr 5,9.

<sup>261</sup> Hebr 7,27 u.ö.